

contagiis pollutam : et paternam vocem ad cor audiet, « Ecce filius meus, mortuus erat, et revixit; perierat, et » inventus est¹: » filius meus, quem obstetricantibus undis genueram, mortuus erat, quia de spiritu meo non vivebat; et revixit, quia abjecto mortuorum consortio, ad locum vitæ rediit; perierat, quia eodem cum impiis naufragio abreptus fuerat; inventus est, quia per salutarem tabulam, hoc est, poenitentiam, tandem portui, hoc est, Ecclesiæ redditus. Ut hoc de illis eveniant, fratres, quam obnixe possumus, a Domino petamus, ut quemadmodum unus est baptismus, una aqua, una fides, sic etiam una charitatis professio, nec inter nos alia amplius audiatur, quam meliorum charismatum æmulatio.

¹ Luc. xxiv, 32.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE PECCATORUM MERITIS

ET REMISSIONE,

ET DE BAPTISMO PARVULORUM,

AD MARCELLINUM,

LIBRI TRES¹.

LIBER I.

Refellit eos qui dicunt, Adam, etiamsi non peccasset, fuisse moriturum; nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagatione transiisse. Mortem hominis probat consecutam non necessitate naturæ, sed merito peccati: tum etiam peccato Adæ totam ejus stirpem obligatam esse docet, ostendens parvulos ob id baptizari, ut originalis peccati remissionem accipiant.

I. QUAMVIS in mediis et magnis curarum æstibus atque tædiorum², quæ nos detinent a peccatoribus dere-

¹ Scripti anno Christi 412. — ² Vide *Retract.* lib. 2, cap. 23.

linquentibus legem Dei (4), licet ea quoque ipsa nostrorum etiam peccatorum meritis imputemus: studio tamen tuo, Marcelline charissime, quo nobis es gravior atque jucundior, diutius esse debitor nolui, atque ut verum dicam, non potui. Sic enim me compulit, vel ipsa charitas qua in uno incommutabili unum sumus in melius commutandi, vel timor ne in te offenderem Deum, qui tibi desiderium tale donavit, cui serviendo illi serviam qui donavit: sic, inquam, me compulit, sic duxit et traxit ad dissolvendas pro tantillis viribus quæstiones, quas mihi scribendo indixisti, ut ea causa in animo meo paulisper vinceret alias, donec aliquid efficerem, quo me bonæ tuæ voluntati et eorum quibus hæc curæ sunt, etsi non sufficienter, tamen obedienter deservisse constaret.

II. Qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non poena culpæ, sed necessitate naturæ, profecto illud quod in Lege dictum est: « Quæ die ederitis, morte moriemini²; » non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ in peccato fit; referre conantur. Quæ morte mortuos significavit Dominus infideles, de quibus ait: « Sine mortuos sepelire mortuos suos³. » Quid ergo respondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando et damnando dixisse: « Terra es, et in terram ibis⁴? » Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat, et morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundum corpus terra esset, et corpus in quo creatus est animale gestaret; tamen si non peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, et in illam incorruptionem quæ fidelibus et sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cujus rei

¹ Gen. II, 17. — ² Matth. VIII, 22, et Luc. VIII, 60. — ³ Gen. III, 19.

desiderium nos habere non solum ipsi sentimus in nobis, verumetiam admonente Apostolo cognoscimus, ubi ait: « Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, » quod de cælo est, superindui cupientes, si tamen induti, non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita¹. » Proinde si non peccasset Adam, non erat exoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate, et incorruptione, ut absorberetur mortale a vita, id est, ab animali in spiritale transiret.

III. Neque enim metuendum fuit, ne forte si diutius hic viveret in corpore animali, senectute gravaretur, et paulatim veterascendo perveniret ad mortem. Si enim Deus Israëlitarum vestimentis et calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita², quid mirum si obediens homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosus, tempore quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse ut vulneretur: sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse ut moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch et Elias per tam longam ætatem senectute marcerunt³. Nec tamen credo eos jam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui

¹ 2 Cor. V, 2. — ² Deut. XXIX, 5. — ³ Gen. V, 24, et 4 Reg. II, 11.

consumptione reficiunt¹; sed ex quo translati sunt, ita vivunt, ut similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ et ex collyride panis sine cibo vixit: aut si et his sustentaculis opus est, ita in paradiso fortasse pascuntur, sicut Adam prius quam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim, quantum existimo, et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, et de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

IV. Præter hoc autem quod puniens Deus dixit: « Terra es, et in terram ibis², » quod nisi de morte corporis quomodo intelligi possit ignoro; sunt et alia testimonia quibus evidentissime appareat, non tantum spiritus, sed etiam corporis mortem propter peccatum meruisse genus humanum. Ad Romanos Apostolus dicit: « Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum ejus in vobis³. » Puto quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara et aperta sententia. « Corpus, inquit, mortuum est, » non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed « Propter peccatum, » quid amplius quærimus? Et vigilantissime non ait, mortale; sed « Mortuum. »

V. Namque antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum: sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum. Cujus enim caro est, quæ non ægro-

¹ 3 Reg. xix, 8. — ² Gen. iii, 19. — ³ Rom. viii, 10.

tare possit, etiamsi aliquo casu priusquam ægrotet occumbat? Sic et illud corpus jam erat mortale: quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est, obedientia, permaneret: sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum. Quia vero illa in resurrectione futura mutatio, non solum nullam mortem, quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait: « Qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit » et mortua corpora vestra⁴; » cum supra dixisset: « Corpus mortuum: » sed, « Vivificabit, inquit, et mortalia corpora vestra: » ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cum animale resurget in spiritale, et mortale hoc induet immortalitatem, et absorbebitur mortale a vita.

VI. Mirum si aliquid quæritur hac manifestatione liquidius. Nisi forte audiendum est, quod huic perspicuitati contradicitur, ut mortuum corpus secundum illum modum hic intelligamus, quo dictum est: « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram². » Sed hoc modo corpus propter justitiam mortificatur, non propter peccatum: ut enim operemur justitiam, mortificamus membra nostra quæ sunt super terram. Aut si putant ideo additum: « Propter peccatum³, » ut non intelligamus quia peccatum factum est, sed ut peccatum non fiat, tanquam diceret: Corpus quidem mortuum est, propter non faciendum peccatum. Quid sibi ergo vult, quod cum adjunxisset, « Spiritus autem vita est; » addidit: « Propter justitiam? » Suffecerat enim si adjungeret vitam spiritus, ut etiam hic subaudiretur propter non facien-

¹ 1 Cor. xv, 44-53, et 2 Cor. v, 4. — ² Coloss. iii, 5. — ³ Rom. viii, 10.

dum peccatum : ut sic utrumque propter unam rem intelligeremus, et mortuum esse corpus, et vitam esse spiritum, propter non faciendum peccatum. Ita quippe, etiamsi tantummodo vellet dicere : « Propter justitiam, » hoc est, propter faciendam justitiam, utrumque ad hoc posset referri, et mortuum esse corpus, et vitam esse spiritum, propter faciendam justitiam. Nunc vero et mortuum dixit esse corpus propter peccatum, et spiritum esse vitam propter justitiam; diversa merita diversis rebus attribuens, morti quidem corporis, meritum peccati; vitæ autem spiritus, meritum justitiæ. Quocirca si, ut dubitari non potest : « Spiritus vita est propter justitiam, » hoc est, merito justitiæ : profecto « Corpus mortuum propter peccatum, » quid aliud quam merito peccati intelligere debemus aut possumus, si apertissimum Scripturæ sensum non pro arbitrio pervertere ac detorquere conamur? Huc etiam verborum consequentium lumen accedit. Cum enim præsentis temporis gratiam determinans diceret, mortuum quidem esse corpus propter peccatum, quia in eo nondum per resurrectionem renovato, peccati meritum manet, hoc est, necessitas mortis; spiritum autem vitam esse propter justitiam, quia licet adhuc corpore mortis hujus oneremur, jam secundum interiorem hominem coepta renovatione in fidei justitiæ¹ respiramus : tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiam ipsum quod propter meritum peccati in præsentis sæculo dixerat mortuum, in futuro propter meritum justitiæ dicit vivificandum; nec sic ut tantum ex mortuo vivum fiat, verum etiam ex mortali immortale.

VII. Quanquam itaque verear, ne res manifesta exponendo potius obscuretur, apostolicæ tamen sententiæ lu-

¹ Forte justitia.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE, LIB. I. 273
 men attende. « Si autem Christus, inquit, in vobis est, » corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus » autem vita est propter justitiam¹. » Hoc dictum est, ne ideo putarent homines vel nullum, vel parvum se habere beneficium de gratia Christi, quia necessario morituri sunt corpore. Attendere quippe debent, corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est; sed jam spiritum coepisse vivere propter justitiam fidei, qui et ipse in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non igitur, inquit, parum vobis muneris putetis esse collatum, per id quod Christus in vobis est, quod in corpore propter peccatum mortuo, jam propter justitiam vester spiritus vivit; nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis. « Si enim » spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat » in vobis : qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit » et mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum » ejus in vobis². » Quid adhuc tantæ luci fumus contentionis offunditur? Clamat Apostolus : Corpus quidem mortuum est in vobis propter peccatum, sed vivificabuntur etiam mortalia corpora vestra propter justitiam, propter quam nunc jam spiritus vita est, quod totum perficietur per gratiam Christi, hoc est, per inhabitantem spiritum ejus in vobis; et adhuc reclamatur? Dicit etiam quemadmodum fiat, ut vita in se mortem mortificando convertat. « Ergo, fratres, inquit, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim » secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu » facta carnis mortificaveritis, vivetis³. » Quid est aliud, quam hoc : Si secundum mortem vixeritis, totum morietur; si autem secundum vitam vivendo mortem mortificaveritis, totum vivet?

¹ Rom. VIII, 10. — ² Ibid. 11. — ³ Ibid. 12.

VIII. Item quod ait : « Per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum : » quid aliud quam de morte corporis intelligi potest ; quando ut hoc diceret , de resurrectione corporis loquebatur , eamque instantissima et acerrima intentione suadebat ? Quid est ergo quod hic ait ad Corinthios ? « Per hominem mors , et per hominem resurrectio mortuorum . Sicut enim in Adam omnes moriuntur , sic et in Christo omnes vivificabuntur¹ : » nisi quod ait etiam ad Romanos : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum , et per peccatum mors² ? » Hanc illi mortem , non corporis , sed animæ intelligi volunt , quasi aliud dictum sit ad Corinthios : « Per hominem mors , » ubi omnino animæ mortem accipere non sinuntur , quia de resurrectione corporis agebatur , quæ morti corporis est contraria . Ideo etiam sola mors ibi per hominem facta commemorata est , non etiam peccatum ; quia non agebatur de justitia , quæ contraria est peccato , sed de corporis resurrectione , quæ contraria est corporis morti .

IX. Hoc autem Apostolicum testimonium in quo ait : « Per unum hominem peccatum intravit in mundum , » et per peccatum mors , » conari eos quidem in aliam novam detorquere opinionem , tuis litteris intimasti ; sed quidnam illud sit , quod in his verbis opinentur , tacuisti . Quantum autem ex aliis comperi , hoc ibi sentiunt , quod et mors ista quæ illic commemorata est , non sit corporis , quam nolunt Adam peccando meruisse , sed animæ quæ in ipso peccato fit : et ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine , sed imitatione transisse . Hinc enim etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum , quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt . Sed si Apostolus

¹ 1. Cor. xv, 21. — ² Rom. v, 12.

peccatum illud commemorare voluisset , quod in hunc mundum , non propagatione , sed imitatione intraverit ; ejus principem , non Adam , sed diabolum diceret , de quo scriptum est : « Ab initio diabolus peccat¹. » De quo etiam legitur in libro Sapientiæ : « Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum². » Nam quoniam ista mors sic a diabolo venit in homines , non quod ab illo fuerint propagati , sed quod eum fuerint imitati , continuo subjunxit : « Imitantur autem eum qui sunt ex parte ipsius³. » Proinde Apostolus cum illud peccatum ac mortem commemoraret , quæ ab uno in omnes propagatione transisset , eum principem posuit , a quo propagatio generis humani sumpsit exordium .

X. Imitantur quidem Adam , quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei : sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus , aliud quod origo est cum peccato nascentibus . Nam et Christum imitantur Sancti ejus ad sequendam justitiam . Unde et idem Apostolus dicit : « Imitatores mei estote , sicut et ego Christi⁴. » Sed præter hanc imitationem , gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur , illo opere de quo idem prædicator ejus dicit : « Neque qui plantat est aliquid , neque qui rigat , sed qui incrementum dat Deus⁵. » Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori , qui certe imitari aliquem nondum valent . Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur , præter quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit , dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam , quam latenter infundit et parvulis : sic et ille in quo omnes moriuntur , præter quod eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur , imitationis

¹ 1. Joan. iii, 8. — ² Sap. ii, 24. — ³ Ibid. 25. — ⁴ 1. Cor. xi, 1. — ⁵ Id. iii, 7.

exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omnino, nec aliunde, Apostolus dicit: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt¹. » Hoc si ego dicerem, resisterent isti, meque non recte dicere, non recte sentire clamarent. Nullam quippe in his verbis intelligerent sententiam cuiuslibet hominis, nisi istam quam in Apostolo intelligere nolunt. Sed quia ejus verba sunt, cujus auctoritati doctrinæque succumbunt, nobis objiciunt intelligendi tarditatem, cum ea quæ tam perspicue dicta sunt, in nescio quid aliud detorquere conantur. « Per unum, inquit, hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors. » Hoc propagationis est, non imitationis: nam si imitationis, per diabolum diceret. Quod autem nemo ambigit, istum primum hominem dicit, qui est appellatus Adam. » Et ita, inquit, in omnes homines pertransiit. »

XI. Deinde quod sequitur: « In quo omnes peccaverunt, » quam circumspecte, quam proprie, quam sine ambiguitate dictum est. Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt: certe manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt; quando omnes ille unus homo fuerunt². » Si autem non peccatum, sed ille unus homo intelligitur, in quo uno homine omnes peccaverunt, quid etiam ista est manifestatione manifestius? Nempe legimus justificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicatio-

¹ Rom. v, 12. — ² Vide infra lib. 3. c. 2. de nuptiis c. 5. et epist. 186. n. 21. et Serm. 165. n. 7.

nem et inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisquis hæret Domino unus spiritus est, quamvis eum et imitentur Sancti ejus: legatur mihi tale aliquid de iis, qui Sanctos ejus imitati sunt, utrum quisquam dictus sit justificatus in Paulo aut in Petro, aut in quolibet horum, quorum in populo Dei magna excellit auctoritas; nisi quod in Abraham dicimur benedici, sicut ei dictum est: « Benedicentur in te omnes gentes¹: » propter Christum qui semen ejus est secundum carnem. Quod manifestius dicitur, cum hoc idem ita dicitur: « Benedicentur in semine tuo omnes gentes. » Dictum autem quemquam divinis eloquiis, peccasse vel peccare in diabolo, cum eum iniqui et impii omnes imitentur, nescio utrum quisquam reperiat: quod tamen cum Apostolus de primo homine dixerit: « In quo omnes peccaverunt², » adhuc de peccati propagine disceptatur, et nescio quæ nebula imitationis opponitur.

XII. Attende etiam quæ sequuntur. Cum enim dixisset: « In quo omnes peccaverunt; » secutus adjunxit: « Usque ad legem enim peccatum in mundo fuit³: » hoc est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quæ subintravit ut magis abundaret peccatum; sive naturalis lex, in qua quisque jam ratione utens, incipit peccato originali addere et propria; sive ipsa quæ scripta per Moysen populo data est. « Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus⁴. Peccatum autem non deputabatur, cum lex non esset. » Quid est, « Non deputabatur⁵, » nisi ignorabatur, et peccatum esse non putabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo tanquam non esset habebatur,

¹ Galat. iii, 8. — ² Rom. v, 12. — ³ Ibid. 13. — ⁴ Galat. iii, 21 et 22. — ⁵ Rom. v, 13.

cum scriptum sit: « Quicumque sine lege peccaverunt, » sine lege peribunt¹. »

XIII. « Sed regnavit, inquit, mors ab Adam usque ad » Moysen²: » Id est, a primo homine usque ad ipsam etiam legem quæ divinitus promulgata est, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam, quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quæ poenalter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in Vetere Testamento pro temporum dispensatione justissima, quod nunc revelatur in Novo. Ergo in omnibus « regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, qui Christi gratia non adjuti sunt, ut in eis regnum mortis destrueretur: « Etiam in » eis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ³, » id est, qui nondum sua et propria voluntate sicut ille peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt; « Qui est forma futuri⁴; » quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salvatoris⁵. Scio quidem plerosque latinos codices sic habere: « Regnavit » mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt » in similitudinem prævaricationis Adæ, » quod etiam ipsum, qui ita legunt, ad eundem referunt intellectum; ut in similitudinem prævaricationis Adæ peccasse accipiant,

¹ Rom. II, 12. — ² Id. V, 14. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. — ⁵ Confer epist. 157. n. 19.

qui in illo peccaverunt, ut ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque damnati. Græci autem codices unde in latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes aut pene omnes, id quod a me primo positum est, habent.

XIV. « Sed non, inquit, sicut delictum, ita et donatio. » Si enim ob unius delictum multi mortui sunt, multo » magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu » Christi in multos abundavit: non magis multos¹, » id est, multo plures homines, neque enim plures justificantur quam condemnantur; « Sed multo magis abundavit. » Adam quippe ex uno delicto suo reos genuit: Christus autem etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo nati sunt addiderunt, gratia sua solvit atque donavit, quod evidentius in consequentibus dicit.

XV. Verum illud diligentius intuere, quod ait, ob unius delictum multos mortuos. Cur enim ob unius illius, et non potius ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed attende quod sequitur: « Et non sicut per unum peccantem, ita est et » donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem². » Nunc dicant, ubi locum habeat in his verbis illa imitatio. « Ex uno, inquit, in condemnationem: » quo uno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cum adjungit: « Gratia autem ex multis delictis in justificationem. » Cur ergo judicium ex uno delicto in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem? Nonne si nullum est originale delictum, non solum ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, et non etiam judicium multa delicta

¹ Rom. V, 15. — ² Ibid. 16.

condemnat. Aut si propterea ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius unius imitatione commissa sunt: eadem causa est, cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. Sed hoc videlicet non intelligebat Apostolus cum dicebat: « Judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, » gratia vero ex multis delictis in justificationem ¹? » Imo vero nos intelligamus Apostolum, et videamus ideo dictum iudicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Quamvis enim condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt, et tanto singulis gravior sit quanto gravior quis peccavit: tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantum a regno Dei separat, quo parvulos sine accepta Christi gratia defunctos intrare non posse ipsi etiam confitentur; verum a salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla esse alia potest præter regnum Dei, quo sola Christi societas introducit.

XVI. Ac per hoc ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traduximus: a Christo vero, in quo omnes justificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quæ ipsi addidimus peccatorum remissionem consequimur. « Ideo » non sicut per unum peccantem, ita est et donum. » Nam iudicium quidem ex uno delicto, si non remittitur, id est, originali, in condemnationem jam potest ducere: gratia vero ex multis delictis remissis, hoc est, non solum originali, verumetiam omnibus cæteris ad justificationem perducit.

¹ Rom. v, 16.

XVII. « Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum ¹. » Cur ob unius delictum mors regnavit per unum, nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo uno in quo omnes peccaverunt, etiamsi propria peccata non adderent? Alioquin non ob unius delictum mors per unum regnavit, sed ob delicta multa multorum per unum quemque peccantem. Nam si propterea cæteri ob alterius hominis delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem subsequentes imitati sunt: ille quoque et multo magis ob alterius delictum mortuus est quem diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet: Adam vero nihil suasit imitatoribus suis; et multi qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse et tale aliquid commisisse vel non audierunt, vet omnino non credunt. Quanto ergo rectius, sicut jam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, a quo uno peccatum et mortem per omnes transiisse diceret, si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Multo enim rationabilius Adam dicitur imitator diaboli, quem suasorem habuit peccati, si potest quisquam imitari etiam illum qui nihil tale suasit, vel omnino quem nescit. Quid est autem, « Qui abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, » nisi quod non ei tantum peccato in quo omnes peccaverunt, sed etiam eis quæ addiderunt, gratia remissionis datur; eisque hominibus tanta justitia donatur, ut cum Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedant isti etiam cogenti? Et quid est: « Multo magis in vita » regnabunt, » cum mortis regnum multo plures in æternam pœnam trahat; nisi intelligamus eos ipsos in utroque dici qui transeunt ab Adam ad Christum, id

¹ Rom. v, 17.